



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opusculvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

L. S. Felix III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

uero Episcopis, in qua Gaudentio Aufiniensis Ecclesiæ sacerdoti, quia contra statuta canonum & sua præcepta illicitas ordinatio-nes perpetrauerat, totam penitus ordinandi potestate auferri præcepit, & Seuerum in supradicta Ecclesia fungi illo officio iniun-xit, quo ille abusus esset conuictus. Item præcepit, ut ministeria Ec-<sup>12.9.2.c.de red</sup> clesiæ, quæ alienata à prædicto Gaudentio fuerant, instantia præ-<sup>dicibus.</sup> dicti fratris, id est, Seueri præsumptor reparare cogatur.

## L.

S. FELIX III.

A. cccc-  
lxxxiii.

**F**ELIX, natione Romanus, ex patre Felice presbytero, de titulo Fasciolo, sedis annos 8. menses 11. dies 18. Hic ordinauit Epi-scopos 31. presbyteros 27. diaconos 5. Fuit autem hic vñq; ad tem-pora Theodorici regis. Hic in epistola<sup>a</sup>, quam destinauit vniuer-sis Episcopis per diuersas prouincias constitutis mandauit Epi-scopos, presbyteros, diaconos, spontaneos seu coactos rebaptiza-tos, si resipiscunt, vñq; ad exitus sui diem in pœnitentia oportere ia-cere, ita ut nec etiam catechumenorum orationi intersint, & *De conf. d. 4.* communio laica eis tantum in morte reddatur. Cæteros autem, id *c. eos quos.* est, clericos siue monachos vel monachas, seu laicas vtriusq; sexus personas, quos violëtia & periculo coactos iteratione baptismi sub-isse cõfiterit, vel qui aliquo commento se huiusmodi facinoris ma-culis dixerint non teneri, in pœnitentia per triennium durare decernit, & per manus impositionem ad societatem recipi Sa-cramenti, illo per omnia seruato, vt nemo eorum ad Ecclesiasti-cam militiam permittatur accedere. **I**L V D etiam maximè ca-uendum instituit, ne quis Episcoporum aut presbyterorum in al-terius ciuitate, vel sub manu positum sacerdotis, aut eum qui re-conciliatum se esse dixerit, sine Episcopi vel presbyteri testimo-nio & litteris: aut in parrochia presbyter aut Episcopus in ciu-i-tate suscipiat. Prædicti Papæ temporibus Glycerius Imperator, quia eo in tempore Episcopatus ex parte maximè pretio, plus quam merito contingebat, edictum inde instituit dicens. *Hoc mansura in ænum lege sanximus, vt quisvis ad Episcopatum potentum perso-narum auxilio suffragante perueniens, seculariter possideat, que seculari-ter fuerit consecutus, vt finitis vnius anni metis nouerit se Episcopatu esse priuandum. Hi verò qui talem consecrauerint pari de sacerdotio sorte deiecti similes pœnas temeraria consecrationis exoluant. Ciues quoque vniuersi* <sup>g</sup>

*De Glycerio  
vide Baro. ad  
ann. Dō. 474.*

*urbis, quos ad clamationes ambientium, non persona dignitas, qua petenda est, sed venalitas plectenda, sollicitat, sciant se patriæ, cui tam male consulunt habitatione pellendos, ac de suis facultatibus eruendos, fiscoque nostro esse permisso.*

## L I.

A. ccccxcii

S. GELASIVS.

**G**E LASIVS, natione Afer, ex patre Valerio, sedit annos 4. menses 8. dies 18. Fuit autem temporibus Theoderici regis, & Zenonis Augusti. Hic ordinavit Episcopos 67. presbyteros 32. diaconos 2. Hic migrauit ad Christum 11. Calend. Decemb. Hic generale <sup>a</sup> decretum destinavit ad vniuersos Episcopos per Lucaniam, & Brutios, & Siciliam constitutos, de Ecclesiasticis institutis moderate pro temporis qualitate disponendis; quæ vbi nulla rerum vel temporum perurget necessitas regulariter custodienda præcepit. Sed quia suis in temporibus in multis locis Italæ officia clericalia belli famisque incursio consumperat, ita ut vsquequaq; ministrorum seruitum deficeret; sic paternorum canonum decreta librauit, vt clericum quemlibet à primo usq; ad ultimum gradum infra anni spaciū promouendum concederet. Laicum vero infra annum & sex menses, si nihil eorum, quæ canonum censura prohibet eis occurret, & his institutis, quæ temporum necessitas fieri postulabat, paternorum canonum veterem formam esse instituit, quia non aduersus maiorum scita noua lege proponitur, quod de accidentis defectus remedio prouidetur.

*I*TEM prohibuit, vt in baptizandis consignandisque fidelibus nulla pretia exigantur, & si qui hoc perpetrasse fuerint deprehensi, proprii honoris periculum sunt subituri. *I*TEM iusfit, vt presbyteri modum debitum seruent, scilicet, non christina confiant, non consignent, nec præsente quolibet Episcopo, nisi iubeantur ab ipso, vel orare, vel sedere præsumant, nec acolythum, nec subdiaconum faciant. Diaconos etiam suam mensuram seruare præcepit, scilicet, vt absque Episcopo vel presbytero baptizare non audeant, nisi his longè constitutis necessitas extrema compellat: quod & laicis Christianis facere plerunque conceditur. *I*TEM prohibuit, ne ipsi in presbyterio sedeant, aut sacri corporis prærogationem sub con-

specitu

<sup>\* epist. 1.</sup><sup>Dist. 55. c. pri  
scis.</sup><sup>Dist. 77. c. si  
quies</sup><sup>1. q. 1. b. apti-  
z. an.</sup><sup>D. 7. 95. c.  
presbyteros</sup><sup>D. 7. 93. c. dia-  
conos.</sup>